



L O G I C O R U M
 L I B E R Q U I N T U S
De
 D I S T R I B U T I O N E.

Cap. 1. Distributum.

Definitionem excipit distributio, quæ est argumentum complexum vi relationis suæ arguens distributum tanquam thema.

Hic duo notanda sunt. 1. Cur definitio præcedat distributionem? 2. Cur distributio annumeretur argumētis complexis? Ad 1. resp. Definitioni princeps constituitur locus, partim ob dignitatem ejus, partim quia hic est ordo naturæ. Dignitatem si spectes, dicendum tibi erit, omnes scientias propriè & per se comparari per definitiones. *Arist. 2. post. c. 17.* At nulla scientia propriè & per se per distributionem comparatur, sed ex accidenti. *Zab. 4. de method. c. 13.* Quo etiam nomine definitio omnium anchorarum firmissima dicitur. *Scal. ex. 110. f. 1.* Ordo naturæ quoq; postulat, ut definitio in methodico systemate præcedat distributionem. Nam in definitione componimus, in distributione resolvimus. Atqui in compositione procedimus à causis ad effectum; in resolutione contrà ab effectu ad causas. Ad 2. resp. Si distributio est terminus incomplexus; jam non erit distributio. Nam distributio est resolutio totius in partes. At hoc non esset, si unicus esset terminus. Confer cum *cap. 1. libri superioris.* Nam quæ ibi diximus de naturâ definitionis, ea naturam distributionis quoq; illustrant.

Distributum est, quod in partes resolvitur.

Sicut libro superiore diximus de definito, ita & hic nobis dicendum est de distributo; quod arguitur à distribu-

Doctrina
 definitionis
 est prior do-
 ctrinâ dis-
 tributionis.